

luit. At ille nisibus totis contendebat, cunctaque moliebatur, ut hujus virtutibus propius accederet. » Sic ille. Hinc idem dixisse fertur: *Si Alexander non essem, Diogenes esse vellem*; præferens ejus virtutes (tametsi insolidas et futiles) omnibus divitiis. Ratio est, quia opes cæteræ rapiuntur a morte: virtutes diripi non possunt, sed comitantur hominem ad sepulcrum et vitam alteram. Ut enim fulmen præter laurum omnes ferit arbores, teste Plinio, l. II. ita mors et calamitas omnia auferre potest præter virtutem. Unde S. Ambrosius, lib. VII. in cap. XII. Luca: *Sola virtus, inquit, comes est defunctorum*: et S. Chrysostomus, homil. XXIII. in Genes. « Divites his omnibus relictis nudi hinc migrant, tantum malitia vestiti, et peccatorum oneribus inde collectis. At longe secus habet virtus, quæ hic quoque potentior est insidiatoribus, et plane invictos facit suos, continuamque præbet voluptatem, et ne sentire quidem sinit rerum istarum inæqualitatem: sed et hinc emigrantibus comitem se addit, et tunc potissimum, cum ejus subsidio egemus. Ad hæc in die illo terribili magnum nobis præstat auxilium, placans judicem. Et sicut hic ab ingruentibus infortunis, ita et in futuro se colentes a tormentis illis eripit. » Idem hom. LXIII. ad pop. confirmat his verbis: « Si vultis hoc discere, inquit, hinc migraturum interrogemus vel senio confectum, et commonefacientes eum laute mensæ, qua quondam oblectabatur, et honoris et gloriæ; et honorum operum, quæ unquam fecit, rogemus in quibus magis exultat. Et in illis quidem videbimus erubescens et se celantem, in his vero gestientem et exultantem. Sic etiam Ezechias cum ægrotavit, non gloriæ, non regni, non opiparæ meminit mensæ, sed justitiæ; ait enim: Memento, Domine, quomodo ambulaverim in conspectu tuo, in via recta. Vide et

Paulum ex his exultantem et dicentem: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. » Cum apud Forum Julium hibernaret Carolus M. imp. ac videret Francos exoticas pelles, peregrina vestimenta a Venetis mercatoribus magno emptitare, omnes uti vestiti erant secum venatum pluvia imminente proficisci imperavit; vestibusque hisce imbre corruptis, dilaniatis, sanguine oblitis domum reverti jussit, universosque mox secum eodem habitu cœnare, ob frigus tum omnibus ad focum certatim consistentibus, convivium ad multam noctem protraxit. Postridie iisdem indutos amictibus cunctos apparere jubet. Tum ubi hujusmodi indumenta partim imbre, pluvia, searibus dilacerata, cruore oblita; partim ab igne rugis constricta, et proinde rupta discissaque conspexit, lupinas suas pelles integras ostendit; et: « Stolidissimi mortaliū, inquit, quod vestimentum nunc utilius pretiosiusve est? Meumne drachma comparatum, an vestra tot libris atque integro patrimonio coempta? » Aventinus, l. IV. annalium Boiorum. Simillimum quid contingent in articulo mortis, frigidoque illo judicii die. Hirsuta Caroli M. vestis virtutis habitum indicat, vilem quidem aspectu et asperum; verum utilem et durabilem. Sericæ vestes et odoriferæ pelles nobilitatem sanguinis referunt; quæ in venatione mortis nec durant nec protegent, sed heu frigori divini judicii miseros exponunt.

Quare, auditores, si veram stabilem et solidam nobilitatem concupiscitis, virtutem adamate et comparate. Josephum vobis proponite, quæ in arte sua fabrilis centies millies majorem, consecutus est ex virtute nobilitatem, gloriam et honorem quam omnes mundi nobiles; quia horum prosapia nisi virtuti conjuncta sit, nihil in cœlo valet: virtus sola in pretio est.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. V.

EVANGELIUM. Matth. II.

In illo tempore, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Mariæ. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait ei angelus: Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum, hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

ONCIONES.

- | | |
|--|--|
| I. Congruentiæ incarnationis Dominicæ. | IX. Circumstantiæ legationis angelicæ. |
| II. Beneficium incarnationis declaratur per figuras. | X. Mysteria evangelii. |
| III. Quomodo per incarnationem roborata sint in hominibus fides, spes et charitas. | |
| IV. Exponitur angelica salutatio. | |
| V. Resolutio Virginis Mariæ. | |
| VI. Quot modis fuerit Dominus cum Beata Virgine. | |
| VII. Propugnacula pudicitie extracta a Maria Virgine. | |
| VIII. Virginitas Deiparæ ante, in, et post partum ostenditur. | |

CONCIONES AUCTARII.

- I. An et quomodo meruerit B. Virgo, ut esset Mater Dei.
- II. Verbo fiat, quanta effecerit B. Virgo.
- III. Quanta beneficia B. Virgo suo assensu nobis contulerit.
- IV. B. Virgo vere ancilla Domini.
- V. Quomodo captus a B. Virgine, et a nobis in sancta communione capiendus Dei Filius.

CONCIO I.

CONGRUENTIE INCARNATIONIS DIVINÆ.

- I. Gloria Dei. — II. Victoria Domini. — III. Miseria hominum. — IV. Salus. — V. Perfectio universi. — VI. Gloria sanctorum.

THEMA.

Quomodo fiet istud? Luc. I.

Stupendum et omnibus sæculis inauditum nuntium hodie de cœlo in terras allatum est, Deum videlicet omnium creatorem et rectorem de cœlo

in terram descensurum: Deum inquam invisibilem, videndum inter homines: Deum immensum et incomprehensibilem, concludendum utero Virginis: Deum impassibilem fore hominem passibilem: Deum immortalem, mortalem fore et moriturum: Deum universitatis Dominum, servuli forma appariturum. Quis hic cum Maria non exclamet: Quomodo fiet istud? Et si non est impossibile apud Deum omne adeoque et hoc verbum, quomodo decet istud supremam illam majestatem, ut adeo se demittat, ad homines divertat, et inter servos et creaturas suas advena

esse velit? Miratur hoc Salomon: *Ergone putandum est, inquit, quod vere Deus habitet super terram?* III. Reg. VIII. Miratur hoc Jerem. c. XIV. dicens: *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum?* Cui interrogationi respondet Ecclesia quotidie in missa canens: *Propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis.* Quam vero istud congruum et divinam majestatem decens fuerit, nunc audiemus.

I. Congruentissima fuit incarnatio Dei primo, gloriæ Dei amplificandæ: quia sic aperuit et communicavit mundo modo præstantissimo divitiarum bonitatis suæ; si enim reges regia dant munera, sua majestate digna, congruebat etiam ut Deus modo eminentissimo se communicaret hominibus, quia bonum est sui communicativum; ergo summum bonum summo modo communicandum videbatur. Unde ad Titum, c. II. vocat apostolus: *Magnum Deum, qui dedit senectipsum pro nobis, ut nos redimeret.* Creaturis aliis communicavit se per naturæ dona, hominibus et angelis per dona supernaturalia, restabat ut communicaret se etiam personaliter, quod factum in incarnatione est. Porro in hoc eminentissimo modo ostendit suam bonitatem, propter quod apostolus ad Titum, c. III. ait: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Justitia divina per eminentiam apparebit in die iudicii, velut proprio et destinato loco. Ad hæc: « Apparuerat ante potentia in rerum creatione: apparebat sapientia in earum gubernatione: sed benignitas misericordiæ nunc maxime apparuit in humanitate, » inquit S. Bern. serm. I. in die nativitatis Domini. Quanta enim et quam gloriosa est ista bonitas, quod creator noster non despexit proprii plasmatis infirmitatem, sed tandem vestem induit, qua nos primitus contextit. Deinde, quod rex noster tanto naturæ intervallo a nobis dissitus non est dedignatus visitare plebem suam, cum illis loqui, vesci, ambulare, etc. tamquam unus ex nobis, imo per omnia similis nobis factus, peccato excepto.

II. Dæmoni vincendo. Cum enim is tyrannide usurparet mundum, et pene omnem suæ ditioni subjiceret hominesque a cultu veri Dei ad sui cultum traheret, quid hic fieri congruebat, nisi quod a regibus solet, qui cum advertunt ab aliquo invasore subditos a se averti, et tyrannice tractari, mittunt primo legationes, duces, milites qui subditos reducant, et ab iniquo dominatore liberent, seductores puniant; hoc vero si nihil proficiat, ipsimet eo pergunt, vel filium mittunt qui maxima sua potestate et auctoritate regnum patri recuperet. In hunc ergo mundum misit Deus

primo, suos patriarchas, qui mundum a sequela dæmonis averterent et reducerent ad Deum verbis, minis, plagis: sed cum eos mundus non modo audiret, verum etiam interficeret et subannaret, ad extremum misit Deus Filium suum; qui quidem abductis et seductis hominibus gratiam, veniam, et misericordiam offerret, si resipiscerent, de seductore vero dæmone vindictam sumeret. Decebat autem ut non alius nisi Dei Filius hanc tam difficilem provinciam susciperet, quia agebatur de honore et regno Patris ejus, de salute innumerabilium animarum, imo totius mundi. Hoc est, quod per Isaiam, cap. XXV. expresserat Deus, cum dixit: *Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus? Quoniam ablatus est populus meus gratis: dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus, et jugiter tota die nomen meum blasphemantur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ergo ipse qui loquebar, ecce adsum.* Idipsum figurate expressit, Exod. III. dicens: *Vid iafflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum qui præsumunt operibus, et sciens dolorem ejus descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Hæc denique clarius edixit in parabola cultorum vineæ ad quos cum misisset paterfamilias servos suos ut acciperent fructum, et hi male ab illis tractati fuissent, dicebat: *Verebuntur forte filium meum, et misit illum ad eos, Matth. XXI.* Potuisset quidem mittere angelum vel hominem cum plena potestate, etc. sed magis decens fuit ut veniret ipse in Filio suo. « Neque enim illos reges admirari, (inquit Theodoretus, serm. VI. de Græc. affect. cura,) et laudibus ornare soliti estis, qui regalibus in thalamis enutriti molliter omni deliciarum genere perfrui solent, sed quibus grave non est pro subditis hominibus caput periculis objectare, quique armis obiecti in prima acie cum hoste fortiter pugnant. »

III. Miseriæ hominum sublevandæ, quæ tanta fuit, ut nequaquam indecens, sed decentissimum fuerit Deo, quod ad eam tollendam de cælo ipse descenderit. Nam in primis: *Decebat Deum, inquit Theodoretus, loco cit. hominem liberare, propter quem lunam, solem, stellas et terram creavit.* Sed cur in propria persona? Audi eundem mox subjicientem: « Medicos illos maxime laudare soletis, non quidem qui nos ministris suis curandos committunt, sed qui pallium deponunt, linteolumque succinti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt vulnusque si sit opus incidunt, nec foetorem ulceris aversantur, imo autem profluentem saniem excipiunt atque unguentis compingunt. » Sic ille. Hujusmodi autem medicum se esse ostendit Christus, quando in ultima cæna posuit vesti-

menta sua, et linteo præcinctus cæpit lavare pedes discipulis et tergere sordes eorum. Indicavit enim eo facto se ideo de cælo venisse, ut peccatorum nostrorum sordes suis manibus ablueret. Decet quidem ut æger ipse accedat ad medicum, quando potest: sed cum adeo infirmus est, ut stare et incedere nequeat, tunc bonus et prudens medicus eo se demittit ut ad ægrum veniat. Audi Bern. serm. I. de adventu: « Jacentes paralytici in grabbato, inquit, divinam illam non poteramus attingere celsitudinem, propterea benignissimus Salvator, et medicus animarum descendit ab altitudine sua. » Non decet quidem regem absque ulla causa domum subditi adire, illumque invisere, si tamen id faciat cum subditus ægrotat (quod fecere Trajanus et Hadrianus imperatores ethnici: plures ex catholicis, ut Ludovicus rex, Gratianus imperator, etc., non modo regem non dedecet, sed perhonorificum ipsi est. Non fuit Alexandro Macedoni indecorum detrahere de capite suo diadema, ut Lysimachi vulnus obligaret; quia tunc aliud, quo obligaretur, non erat: nisi hæc necessitas se obtulisset, illud Alexander non fecisset. Morbus igitur naturæ humanæ, quæ ex fragilitate ceciderat, causa fuit cur divinus medicus illam invisere voluerit: *Si bonus paterfamilias, ait D. Thomas, I. p. q. XXX. art. IV. ad II. aliquid pretiosum dat ægrotanti, quod non dat filio sano.*

IV. Salute hominum procurandæ. Quo enim aptiore et efficaciore modo potuisset Deus homines accendere ad fidem, spem, charitatem et virtutum omnium studium, quam hoc ipse? Quis enim non firmissime credat, quod Deus ipse nobiscum visibiliter versatus docuit et confirmavit? Quis non erigatur ad spem, cum Deum tanta et tam difficilia pro se fecisse videt? Quis non excitetur ad dilectionem ejus, qui prior adeo dilexit nos? Quis non ad studium virtutum, quarum ille in vita sua dedit clarissima exempla? Quis tantum ducem non libenter sequatur? Atque hic est ventus ille urens, de quo Oseæ XIII. *Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, (id est, Christum de utero virginis procedentem) et siccat venas ejus, et desolabit fontem ejus.* Etenim Deus homo factus velut urens ventus accendit et impulit homines ad virtutum amplexum, sitim ac desiderium, ut a dæmonis servitio fugientes reciperent se ad Christum, ad finem, ad religionem et monasteria, etc.

Similiter quo meliori modo coercere potuisset vitæ veteris in concupiscentiis enutritæ licentiam, et peccandi libidinem, superbiam, avaritiam, etc. quam si Deus ipse immensus, æternus, sublimissimus, ditissimus se demitteret in uterum

virginis, nasceretur in tempore, versaretur inter homines, sectaretur paupertatem? Id certe futurum prædixit Isaias, cap. LXIV. dicens: *Utinam dirumperes caelos et descenderes: a facie tua montes defluerent, (id est, ad intuitum hujus tuæ humiliationis, superba etiam corda demitterent se utique) et aquæ arderent igni, (id est, frigidi in tui amorem utique exardescerent).* Hoc idem inculcat Jerem. cap. XXXI. dicens: *Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum, q. d. non incipies tu laxam et dissolutam vivendi rationem evangelica disciplina stringere et coercere; quando Deus tantam novitatem est effecturus, ut Filium suum hominem propter homines factum uteri virginalis angustiis concludat? Arcet se superbus, densetque et restringat animi sui celsitudinem, suum fastum, iram, invidiam, quando Deus alius et immensus ad virginis uterum et corpus infantile se arctavit, depressit et restrinxit. Pari modo gulosus stringat et refrænet suam gulam, lascivus suam libidinem, avarus sitim auri, etc.*

V. Perfectioni universi, quia sic primo, totum universum quodammodo assumptum est a Deo; siquidem homo est microcosmus, continens omnes rerum gradus. Secundo, quia sic universum accepit rectorem sibi congruentem et connaturalem, sive natura corporea spectetur, sive incorporea. Tertio, quia sic additus est universo supremus et perfectissimus gradus divinæ communionis, quæ est unio hypostatica, ut p. I. vidimus; itaque per incarnationem Deus operi suo ultimam manum imposuit, idque ad supremum perfectionis et dignitatis gradum extulit, dum id sibi in nomine hypostaticæ conjunxit. Eo respexisse videtur Habacuc, c. 3. cum dixit: *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud.* Quemadmodum enim prima illa lineamenta, quibus pictor in tabella imaginem designat, quodammodo mortua sunt, et postea cum superinductis coloribus illustrantur, vivificare dicuntur: ita per creationem universi Deus imaginem suam, in illo descripsit, quasi rudibus lineamentis, quam ad extremum per incarnationem vivis quasi coloribus illustravit, et quodammodo deificavit. Hinc sicut in Christi ortu et nativitate exultavit universum, dum variis prodigiis creatoris sui adventum nuntiavit, ut cum Romæ fons olei fluxit, tres soles in Hispania apparuerunt, vineæ Engaddi floruerunt, angeli prope Bethlehem Salvatoris adventum pastoribus cum jubilo annuntiarunt, etc. ita in ejusdem morte suo etiam modo luxerunt, quando petreæ scissæ, monumenta aperta, sol obscuratus, et terra mota est.

VI. Gloria sanctorum, quia hæc tam illustri opere mirifice est aucta. Nam ut animæ beatorum pro primario beatitudinis objecto habent divinitatem, ita condecens erat, ut etiam corpora illorum suum haberent proportionatum beatitudinis objectum. Et hoc est humanitas Christi, e cujus intuitu, et præsentia plus gaudii percipiunt, quam ex tota omnium angelorum et sanctorum societate.

Quamobrem in hac die jure meritoque benedicimus, laudamus, et glorificamus te, o beata Trinitas: te imprimis Patrem, quia misisti nobis Filium: te Filium, quia ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum: te Spiritum sanctum, quia tua obumbratione hoc opus perfecisti. Benedicimus, inquam, te Deus, quia hodie aperuisti nobis thesaurum bonitatis tuæ: benedicimus, laudamus et glorificamus te, quia hodie visitasti super Leviathan: benedicimus te, quia hodie ad nos paralyticos de cælo descendisti medicus: benedicimus te, quia hodie cœpisti ad salutem nos perducere, imo trahere et quasi cogere: benedicunt te omnes creature, quidquid est, vivit, sentit, intelligit: benedicunt te omnes sancti et electi, etc.

CONCIO II.

BENEFICIUM INCARNATIONIS DECLARATUR PER FIGURAS.

I. Insinuatum Noe. — II. Jacob. — III. Moysi. — IV. Geodeoni. — V. Elisæo. — VI. Ezechie.

THEMA.

Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet. Isaïæ VII.

Tantum est beneficium incarnationis divinæ, ut ejus memoriam nullo unquam tempore voluerit perire Deus, sed variis modis omnibus sæculis inculcare. Nam imprimis servis suis in veteri testamento sub variis typis et prophetiis illud insinuavit; imo etiam reprobis, quemadmodum regi Achaz, in ep. hod. Deinde, in lege nova facta jam incarnatione inculcavit eam fidelibus memoriam hujus summi beneficii, dum Ecclesia doctrine genuflectimus, quoties audimus: *Et Verbum caro factum est*: rursus cum ter quotidie campanam in memoriam angelicæ salutationis pulsamus, et cum festum hodiernum eadem intentione solemniter celebramus.

I. Insinuavit Noe, Genes. IX. cum sublato diluvio constituit Deus iridem pro signo reconciliationis et fœderis inter Deum et homines, quod

videlicet in posterum nollet eos perdere altero diluvio. Iris hæc representat Verbum incarnatum, primo, quia sicut iris est splendor solis in nube receptus, ita Christus est splendor et figura Patris in carne humana. Secundo, quia sicut iris symbolum pacis fuit, de non repetendo diluvio, ita Christus in signum reconciliationis mundi cum Deo positus est: *Ut omnia qui credit in eum non pereant, sed habeant vitam æternam.* Tertio, duo iridis cornua, duas Christi naturas indicant. Quarto, triplex color iridis, cæruleus, viridis, rubens, conversationem Christi notat; quæ fuit partim cœlestis, partim terrestris hominum fragilitati se accommodans, partim doloribus et passione plena, vel significat mysteria vite ejus, gaudiosa in viridi, dolorosa in rubicundo, gloriosa in cæruleo. Quinto: « Tradunt, inquit Plin. l. II. c. XXIV. in quocumque frutice curvetur arcus cœlestis, eandem quæ sit in aspalatho suavitatem odoris existere, sed in aspalatho (aspalathus spina alba florem rosæ habet) inenarrabilem quamdam, » ita Christus ubicumque versabatur, ibi suavitatem odoris sanctitatis, virtutum, miraculorum spargebat, et non animis tantum hominum, sed etiam locis aspergebat, imprimis vero utero B. Virginis, in quem se curvavit. Sexto, iris arcus vocatur a Deo, et arcum representat, ita Christus velut arcus, jaculis amoris sauciavit orbem. Denique, iris cornua et terram, arcus vero versus cœlum se convertunt, in signum pacis et fœderis cum hominibus, quos nolit ferire in posterum Deus. Unde sicut de iride dixit Deus: *Erit arcus meus in nubibus, et videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni*: ita respicit semper in faciem Christi sui ejusque intuitu relaxat nobis peccata et penas diluvii Acherontici: *Vide igitur hunc arcum et benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo*, ait Eccles. cap. XLIII. sed vide interim et hoc, ne tu pugnes contra Deum, quemadmodum fecere homines qui perierunt in diluvio. Tametsi enim Deus non immisurus est diluvium, valet tamen immittere incendium, aliasque clades innumeras, ipsam denique gehennam, ni desinas peccare.

II. Insinuavit Jacobo, Gen. XXVIII. cum ei dormienti ostendit scalam stantem super terram, et cacumine suo cœlum contingentem, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, Christi incarnati et per varios generationis gradus ab Adamo usque ad Deiparam descendentes generatio hic designatur: quæ cœlum scala tangebatur, divinitatem Christi: quæ terra attingebatur, ejusdem humanitatem denotabat. Duo scalæ latera, misericordia sunt et veritas seu fidelitas de promisso Messia: angeli de-

scendentes deferebant divinam naturam ad humanam, ascendentes vero evehebant idiomata naturæ humanæ ad divinam, ita ut Filius Dei verus cœperit esse et dici homo, passibilis et mortalis: et vicissim verus homo cœperit esse et dici verus Deus, impassibilis et immortalis: vel ascensus et descensus angelorum significat nuntia angelorum, quæ ferebant Christo in terram et rursus ferebant in cœlum. Gradus, Christi sunt virtutes, quas docuit nos exemplo suo unaque viam ad cœlum: uti humilitatem in incarnationem: paupertatem in nativitate: charitatem in vitæ progressu, miraculis, doctrina; patientiam in passione; obedientiam in morte. Hanc ergo scalam applicuit nobis Christus ad cœlum, ut sequendo ipsius vestigia post ipsum ascendere-mus. Neque dum amota est hæc scala, prostat omnibus ascendere volentibus.

III. Insinuavit Moysi, Exod. III. quando ei ostendit rubum ardentem incombustum. Significabat enim Deum (qui ignis consumens dicitur, ob subtilitatem, luciditatem, puritatem, activitatem, etc.) in virgine conceptum illæsa ejus virginitate: unde Ecclesia canit: *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem.* Recte autem virginitas comparatur rubo, quia per humilitatem et vitæ asperitatem conservari debet, alioquin in periculo est. Sic per ignem probavit suam castitatem S. Cune-gundis marito suo S. Henrico imp. ambulando super vomeres candentes: et abbas quidam gestando prunas in tunica sine adustione, in vita S. Joan. eleemosynarii. Recte etiam ignis in rubo, Deum in carne significat: quemadmodum enim rubus ignem ferre non potest, ita nec humanitas divinitatem: in Christo tamen per miraculam hæc duo convenerunt, et mansit utraque natura, divina et humana illæsa et confusa, quasi ignis in rubo. Ad litteram significabat is rubus populum Hebræorum, incendendum quidem igne tribulationis et afflictionis ab Agyptiis, sed non consumendum. Ita decet nos persistere in tribulationibus sine læsione animi, juxta id apost. II. Corinth. IV. *Humiliamur sed non confundimur, de-jicimur sed non perimus.*

IV. Insinuavit Gedeoni, Judic. VI. quando in signum liberationis populi de hostium manibus dedit ei tale signum, ut prima quidem nocte descenderet ros super vellus, totum madefaciens, area circumjacente undique sicca permanente: altera nocte contra tota area rore impleretur, vellere ipso sicco permanente. Sic descendit primo, Christus ad Judæos, quasi in vellus, tota gentiliam terra remanente arida, juxta id Matth. XV. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt*

domus Israel. De hoc rore patres dicebant: *Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum*, Isa. XLV. Deinde, descendit ad gentes per apostolorum prædicationem quasi in aream, et vellus Judæismi relictum est aridum et durum, quemadmodum et remansit usque in hodiernum diem. Ita S. August. et alii. Rursus descendit ros in vellus, quando Dei Filius descendit in uterum virginis; et tunc alibi terrarum nusquam erat ille ros, secundum humanitatem. Post nativitatem Christi fuit ros iste in terra sancta ubi Christus versabatur; non fuit amplius in vellere, seu utero matris. Qua de re canit David, Ps. LXXI. *Sicut pluvia in vellus descendisti ut salvum faceres genus humanum.* Designavit vero hoc miraculo liberandum esse genus humanum ab hostibus suis, dæmonibus. Ad hæc sicut ros ille placide sine strepitu, aut læsione vellere in id descendit, ita Verbum descendit in Virginem instar cœlestis roris absque ullo integritatis ejus præjudicio. Porro Verbum rori comparatur primo, quia uti generatio roris occulta est, ita et Verbi: secundo, ros suavem auram aspirat viventibus et terræ fecunditatem affert: sic Christus.

V. Insinuavit Elisæo, Hb. III. Reg. c. IV. quando Elisæus suscitaturus puerum mortuum, ad quem frustra miserat servum cum baculo suo, ipsemet descendit, et posuit ac coarctavit se super corpus pueri ut oculis ejus oculis pueri, os ori, manibus manus corresponderent. Hæc enim ratione calefacta est caro pueri, et redit spiritus ejus. Hoc fecit in incarnatione Deus: « Venit ipse grandis ad parvulum, ait S. August. serm. XI. salvator ad salvandum, vivus ad mortuum. Et quid fecit? Juvenilia membra contraxit, tamquam semetipsum exinanivens, ut formam servi susciperet, parvum se parvo coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Sicut ergo ab Elisæo suscitatus est mortuus: sic a Christo justificatus est impius. » Hinc refert S. Bernard. serm. I. de nativitate. « Quid magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentia est, ut ubi se exinanivit majestas, vermiculus infletur et intumescat. » Ad hæc quando Deus adeo se inclinavit ad humanum genus, quomodo fieri potest, ut hoc non calefiat tanto beneficio, Deumque redamare studeat? Audi apostolum, I. Cor. XVI. *Siquis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, maranatha*, id est, *Dominus vester venit.* Quod Græci legant in præterito, q. d. venia indignum et execrandum esse, qui postquam Dominus in humilitate venit, eundem non amat.